

Lohmann de vera S. Script. divinitate dicitur perinde methodo. per se
populum

- 2,
- 3, C. A. Klotz vindiciae Torquati Tassii
- 4, J. J. Weller theses scholasticae ex philosophia prima
- 5, J. F. Murray propositio scholastica ex philosophia
- 6, J. J. Weller de principatu philosophiae.
- 7, Jan. a Dieß de principis philosophiae p. 17.
- 8, J. J. Weller de sensibili philosophia.
- 9, D. Stoeckle de sensu atq. usu rationis sufficientis principii
- 10, M. Bultschaj de fulgure & tonitru ex phaenomenis electricis demonstrat.
- 11, J. J. Kungo de cetera pelluciditate.
- 12, J. C. Budark de vi aëris in foss.
- 13, M. L. Nocke de linguaë Latinae abilitate & sensibilitate.

VE
DVI

QUA P

IOAN



T


DE
VERA SCRIPTURÆ S.
DIVINITATEM DEMONSTRANDI
METHODO

EXERCITATIO THEOLOGICA
PRIOR.

QUA PARTIM ALIORUM HAC DE RE SENTENTIÆ
BREVITER DIJUDICANTUR
PARTIM GENUINA METHODUS
IPSA TRADITUR

AUCTORE

JOANN. CLEM. CHRISTOPH. LOHMANN
S. MINIST. CANDIDATO.



DUISBURGI AD RHENUM
TYPIS FR. AD. BENTHON, ACADEM. TYPOGR.
A. M DCC LXVIII.

HT006151022

VERA SCRIPTURA
DIVINITATEM DEMONSTRANDI
METHODO

2

EXERCITATIO THEOLOGICA
QUI PARTIM ALIORUM HAC DE RE SENTENTIAS
BREVIUS DISCUTIT
PARTIM GENUINA METHODUS
IPSE TRACTOR

g 857 4

DOCTORE
JOHANNES GEORGII LOHMANN
S. THEOLOGICUS CANDIDATUS



IN VINDOBONA

DURBURGI AD AERONUM
TYPIS FR. AD. HENTHON, ACADEM. TYPOG.
A. M. DCC. LXXIII.

10 140 031

V I R O
PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO
CAROLO JOSEPHO
MAXIMILIANO
LIBERO BARONI DE FÜRST
ET KUPFERBERG

POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS
MINISTRO STATUS BELLI ET JUSTITIÆ INTIMO
SUMMI APPELLATIONUM TRIBUNALIS
PRÆSIDI VIGILANTISSIMO
ACADEMIARUM REGIARUM CURATORI
INDULGENTISSIMO EXOPTATISSIMO

ETC. ETC.

DOMINO SUO SUMMOPERE SUSPICIENDO
DEVENERANDO

ET
V I R O
ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
L. B. DE DANCKELMANN

REGIMINIS SUPREMI
QUOD EST IN DUCATU CLIVENSI
ET COMITATU MARCANO
PRÆSIDI GRAVISSIMO
UNIVERSITATIS REGIÆ DUISBURGENSIS CURATORI
PRUDENTISSIMO DIGNISSIMO ETC. ETC.

DOMINO SUO OB PRÆCLARA IN REM PUBLICAM
ET LITERARIAM MERITA

OMNI HONORIS GENERE IN ÆTERNUM PROSEQUENDO

UT ET
ILLUSTRI GENEROSISSIMO
VIRO
DN. JOANNI HENRICO
SUMMERMANN
REGIS SERENISSIMI
IN SUMMO REGIMINIS ET JUSTITIÆ TRIBUNALI
CLIVO - MARCANO
DIRECTORI SAPIENTISSIMO
COLLEGII RERUM PUPILLARIUM
PRÆSIDI DIGNISSIMO
UNIVERSITATIS DUISBURGENSIS ET GYMNASII
HAMMONENSIS CURATORI
SPLENDIDISSIMO
DOMINO SUO SUBMISSE VENERANDO

PRECATUS SUMMUM NUMEN

UT QUAM DIUTISSIME SUPERSTITES SALVOS FELICISSIMOS TANTOS
VIROS SERVARE VELIT

SUMMA CUM ANIMI DEVOTIONE

HASCE PAGINAS STUDIORUM SPECIMEN

TANQUAM SIGNUM SUE REVERENTIÆ

OFFERT

AUCTOR.



Caput I.

§. I.



CDurum ac difficillimum esse, quod aggredior opus, non iniquus ejusdem existimator facile intelliget. Fieri solet in doctrinis gravissimis, maximeque theologicis, ut, postquam diu in illis defendendis sudatum est, numero magis quam argumentorum robori studeatur, animusque sententiarum quadam nube, legitima ea-que breviori via relicta, obruatur. Unde tanta sunt in hujusmodi materiis obstacula, ut iis, crescenteque cum rixationibus partium studio, perruptis, vetera iterum vestigia premere, summa laus sit. Cum simili fato subesse doctrina de S. Scripturae divinitate videatur, momentum causae, purioris veritatis amor, & ex tot dubiis ac circumfusa undique caligine emergendi studium impulerunt me, ut viae certiori detegendae operam impenderem.

A

Quæ

Quænam ea sit, cui insistere velim, non multis verbis, sed breviori aliquo schemate, hisce paginis indicare mihi propositum est, adeoque rem hanc non omnem exhaurire, sed delineare tantum polliceor; cum ipsa causa per partes ab aliis majoris doctrinæ ac ingenii viris optime defensa sit, quorum scripta facilius, majorique cum fructu, adire cuique licuerit, modo veritatis amans aliquam ordinis, quo id fieri debeat, formam præ oculis habeat.

Nec tamen ordinem, quem hisce paginis meum feci, eousque unicum esse atque optimum crediderim, ut invitis illum obtrusum velim. Immutet quisque argumentorum locum, addat ac detrahat, quæ in melius commutanda putat, immutet, ex sententia res mihi successisse videbitur, si forte aliis ad meliora invenienda dux & auctor fuerim. Neque id ægre feram, si cui a vero aberrasse videar; nihil enim humani a me alienum puto, indiesque proficere, errorumque, quibus non carebimus mortales, imminuere numerum, mihi curæ est.

Etsi vero doctrinæ hujus effigiem quandam tantum delineare animus sit, licuerit nihilominus, nonnullas hinc inde cogitationes inserere, quæ vel non satis obviæ sunt Theologorum quibusdam, vel alia forma nec satis distincte traduntur. Eam itidem mihi libertatem reservo, ut in aliis argumentorum fontes nuncupem, in aliis *quid probandum sit* nude proponam.

§. II.

Sunt nobis libri sacri a variis auctoribus, diverso admodum tempore, profecti, quibus pro morum

rum.

rum, divini cultus, omnisque religionis, norma utimur, & quorum ex dictamine, quid animo credendum, quid agendum sit æstimamus. Maximum inter omnia, quæ homini optabilia accidere possunt, ducimus, horum ipsum doctrinis imbuisse, in iisque sectandis occupato stimulos suffixisse. Omnem de rebus gravissimis, ipsaque via qua divino favore digni evadamus, motam quæstionem optime decidisse nobis videmur, si ex mente hujus voluminis factum sit; Viros autem sacros, ad quorum effata ita provocamus, hoc ipso infallibiles rerum æstimatores declarari, nemo erit qui negare audeat. Sed unde mortalibus tanta jura, diis non hominibus concessa? Vera dicant & præcepta optima, probet ea ratio! ast historiis homini, ob longinquitatem temporis, monumentorumque penuriam, incognitis, doctrinis, in quas sana ratio nunquam incidisse videtur, imo, quas ne nunc quidem capit, & assequitur, eorum scripta scatent! adeone Scriptores cæterorum mortalium fato exempti ac falli nescii, ut & in hisce illos duces jure sequamur? Historiarum, scriptorum tempore, superfuisse monumenta non quidem negaverim; ultima si mundi sæcula excipias, mihi Moysen legenti verisimillimum imo certum esse videtur. Sed nec ea nominant, nec in omnibus singulisque circumstantiis iisdem uti potuere. Nihilo vero minus hæc omnia Theologus recipit, ac jure se ita agere probandum sibi sumit, debisset saltem: quod ut omni cura & accurate fiat, meliori christianorum parti maxime in votis esse, nemini sane dubium videbitur. Quam vero id feliciter

variis, iisque maxime obviis argumentis fiat, proxime hinc paucis declarasse, non præter rem meam erit.

§. III.

Hoc tamen antequam agam, unicam præmittam requisitum, quod in omni demonstrationis genere character quasi constitui meretur, & sine quo nullum unquam feliciter susceptum videri debet; sequens puta: *nullum argumentum stringentium numero habeatur, nisi per singula eundo, singulorum librorum origo divina probetur.* Hoc video in omnibus fere probationum generibus desiderari, cum tamen hac thesi nil magis verum æquumve esse queat. Nescio an unitas voluminis, in quod libri s. compacti apparent, an vero lingua, nomine singulari eosdem appellans, seu quid aliud, hujus erroris causa accusari debeat. Sufficit committi vitium, quod ne committatur rei momentum flagitat; Vitiolas enim esse probationes, quotquot hujus §. postulato minus satisfaciunt, nemo dubitaverit eorum, qui animo secum reputant, varios esse Scriptores S. ac vario tempore locoque eorum tradita volumina. Probetur jam argumentis non facile rejiciendis, huic librorum collectioni *divinum quid* revera inesse, testari id miracula, vaticinia edita ac eventu comprobata, aliasque circumstantias. Quidnam hoc singulari in casu commodi pariet? Ponamus enim, proponi sententiam in unico tantum librorum obviam, mihi ob varias causas incredibilem: quid erit, quod ratio in dubium vocare suadeat? Nonne veri aliqua specie in animum mi-

hi veniet, ceteros quidem esse libros divinos, huic autem eandem originem vindicari forte non posse? Quomodo ergo de alterius sententiæ veritate convincat, nisi prius ostendatur, & huiusce libri esse divinitus inspiratum? Sane me latet causa, cur id non perspiciant Theologorum non pauci, veritatemque Religionis christianæ cum auctoritate canonica librorum s. confundant, cum vera esse religio Christi posset, si vel quidam librorum s. minus genuini ejus sæculi fœtus forent, aut si nulli quidem eorum supposititii, ast singuli mera humana ope essent exarati. Poterat itidem Christi religio nostris scriptis contineri, ac pars eorum maxima ex altiori fonte derivari, divinis vero humanum admisci. Non enim *Marcus* v. g. inspirabatur, dum *Matthæi* *Johannis*ve pectus numine incalescebat; nec eam ob causam divinus auctor jure habebitur, quod eandem fere cum reliquis historiam contexit, nisi mihi Evangeliorum quoddam, translocatis ac hinc inde novis additis circumstantiis, describenti eadem fides, idemque honor, non denegetur, quod tamen sanus flagitare non potero.

Est porro lex criticorum, ut in versuum volumque singulorum originem inquiratur, num revera a primi scriptoris manu proficiscantur, vel minus. Nonne idem jure quoad singulos libros flagitabimus? Hoc vero si licuerit, non divinitas voluminis s. in genere, sed singulorum librorum, demonstranda est, nec amplius sufficiet, generatim docuisse, ecclesiam primorum sæculorum omnem libris s. cu-

ram impendere, non debuisse modo, sed revera impendisse, quo demonstrato nonnulli totam rem confecisse sibi visi sunt. Ecclesiae nos testimonio non temerarios stare in plena luce qui posuit, multa illum, eaque maxime optabilia, praestitisse, fateor. Utrum vero haec inde consequentia rite fluat, nunquam eandem errasse, nunquam bello quasi civili flagrasse, semperque uno ore cecinisse, cujus contrarium historice quoque constat, dubito. Quae mea dubitatio si rationibus non sit destituta, in cujusvis libri originem, ac conditionem, inquirendum nobis erit.

Et undenam constaret nobis, omnia scilicet scripta eodem veteribus loco fuisse, nisi de unoquoque eorum testimoniis probetur? Ponamus enim existisse jam Sec. I. quotquot veneramus novi foederis libros, publice quoque lectos fuisse; nondum ego exinde omnium divinam originem derivare ausim, poterant enim Sec. I. & II. ecclesiae *Evangeliorum* v. g. *quaedam* monumenta historica tractare, pro humanisque testibus iis uti, insequentia autem tempora majora illis dare, divinisque eadem scriptis aequiparare. Nec succedit, ex *Apostolorum* demonstrata inspiratione *omnium* auctoritatem derivare; non enim omnia sunt apostolica, sed veneramus & Marci Lucaeque nonnulla scripta, qui ipsi viri ad infallibilitatem sibi cum Apostolis communem, quantum quidem ex testimoniis sacris historice constat, nunquam adspirarunt. Multum itidem fulcri relatura videtur haec mea sententia, si in prima emergentis christianismi mecum regredi velis tempora. Solebant Viri sacri scripta exarata huic vel illi ecclesiae singula

gula mittere; ille, cui inscribebantur, vel primo tra-
debantur, cœtus de auctoritate eorum iudicium fere-
bat, partim, in auctores inquirendo, partim, examinan-
do, quo loco ex eorum sententia habenda essent.
Hisce itaque iudiciis non librorum nostram com-
pagem, sed singula scripta subiecta, primisque
Christi sectatoribus non argumenta generalia, omni-
um librorum divinitatem efficientia, quos nequidem
omnes noverant, sed specialia, in usu fuisse, constat;
quæ nosse omnino operæ pretium erit.

Si præter necessitatem huic §. demonstrando
longius inhæsisse quibusdam forte videar, velim
non tam rei naturam, quam rarum ejus inter Theo-
logos usum, respiciant, & satis apud ipsos excusatio-
nis habebō.

§. IV.

Proferam nunc argumentorum nonnulla, quibus
haud raro utuntur viri doctiores; simul dubia mea iis
adjiciam, quod hac via eorum vires tutissime dete-
gi, ac de unoquoque rectum iudicium ferri possit.
Dividam ea, non ac si singula apud Scriptores sin-
gulos occurrant, (nam omnibus nonnunquam uni-
cus utitur.) sed ut singulis ponderatis de probatio-
num hoc omni genere tanto deinde liquidius pro-
nuntiare liceat.

Unum omnium maxime obvium esse depre-
hendo argumentum quod *ex interna doctrinæ s. gra-
vitate & Οσωρησια* desumendum exinde maxime
colligitur, quod nusquam libri s. vel sibi metipsis,
vel aliis veritatibus certis, repugnent, eaque potius
sit

Arg. ex in-
terna doct.
gravitate.

fit eorum doctrinæ puritas, ut facile veritas &
Θεῶν τῶν oculis sese offerant.

Quæ contra hanc argumentandi rationem mo-
 nenda occurrunt, ut perspicuitati studeam, propriis
 numeris signabo.

Primo: fateor quidem, me hoc argumento eo
 deduci posse, ut magnam doctrinæ s. partem recipiam
 Quas enim præcipit actionum regulas, eas esse, quæ
 bono cive summum numen pie colente dignæ sint, fa-
 cile bonus quisque dabit. Sed quid inde? Num hinc,
 ut *omnia* plane præcepta, nullis exceptis, ad instar
 legis jure sibi latæ recipiat, coactum sese viderit ad-
 versarius, vel & *omnes* plane sacri voluminis sen-
 tentias pro veris ac infallibilibus habuerit? Eous-
 que sane non valebit hoc argumentum. Non ali-
 ter enim de veritate ac dignitate propositionis cu-
 jusdam Judex sedere poterit pius veritatis indaga-
 tor, quam quatenus ejusdem cum certis philosophi-
 æ principiis conferre sententiam ipsi licet; ubi ita-
 que bona fide inquirens hisce destituitur, quid ipsi
 quam, ut parum dicam, dubitatio superesse pote-
 rit. Proponantur ipsi mysteria; quid ager? Ad ra-
 tionem judicem recurrer; cui cum impervia my-
 steria, clausæ quoque rationes sint mysteriorum, per
 se claret, culpandum non esse hominem, si omni alio
 argumento, præter id quod tractamus, destitutus fi-
 dem iis deneget, animumque hoc onere gravare re-
 cuset. Tunc enim juberet, ut quælibet sibi dicta pro
 veris amplectatur, eorumque inventorem pro bono
 habeat, donec contrarium probetur? Regeret uti-
 que, fac sibi probationis in contrarium adesse, si ta-
 lia

si ad
 Job 21
 21

la prof
 niente
 & fol
 donari
 se Ad
 proband
 Sec
 mum v
 præcep
 pherasq
 tores, e
 te, in ul
 n. l. du
 tata fue
 dum q
 dom)
 mum
 priori
 eligas.
 exigua
 meur;
 runt hi
 esse po
 fidem
 curri.
 fuerit,
 de (b)
 N. V.
 G.

lia proferat homo, quæ scire mortalis nisi interveniente miraculo non poterat; rerum enim hominum & solertiam & inquisitionem fugientium scientia donari hominem, nisi a revelatione divina, non posse. Ad quam si provocaveris: hæc ipsa revelatio probanda, non sumenda erit.

Secundo: argumentum, de quo agimus, ad summum valeret in libris, quibus doctrinæ ac morum præcepta continentur, nec tamen ad Historicos Prophetasque, futurorum factorum eventuumque scriptores, extendendum esset. Cum enim, magna ex parte, in ultimi retro temporis historiis versentur, eadem h. l. dubia recurrunt, quæ n. i. ad mysteria notata fuerunt. Quæ enim nobis regula e it, secundum quam historiarum fides dijudicetur? *Veri quædam species, ἢ ὁμοιωματα?* Caveas ne in fanaticissimum historicum incidas, & in factis probandis a priori argumentando tutissimam in errorem viam eligas. *Ἀξιωματικὰ ἑσθημάτων?* Hæc itidem admodum exigua est, si ad receptas easque justas regulas æstimeretur; tam seræ enim antiquitatis res gestas referunt historici s., ut monumentorum nulla copia iis esse potuerit, nec ubi quædam adfuit, inde sibi fidem conciliant, ad altiora veritatis criteria provocaturi. Moses e. g. etsi documentis aliquando usus fuerit, quod styli diversitas (a) & prosæ hinc inde (b) intermixtum metrum testantur, nullam ta-

B

men

(a) Vid. Gen. cap. XIV. in initio, & cap. XXIII.

(b) Gen. III. 24. IV. 23. 24. IX. 25, 27. X. 9. Num. XXI.

men eorum mentionem injicit, divinæ suæ missioni
 fat roboris argumentique inesse confidens.

Tertio: deest huic argumento character, quem
 §. III. cuius probationi vindicare studui, ut nimi-
 rum libri singuli examinentur, non e doctrinis eo-
 rum in systema quoddam coactis pro singulis argu-
 menta deducantur; quæ nonnisi systematis ipsius for-
 te veritatem evincunt. Ex interna præceptorum
 moralium præstantia, doctrinæ puritate, & stupen-
 dis in orbe effectis altior colligatur doctrinæ origo!
 nihil hoc ad singulos libros! cum Judæ & quorun-
 dam historicorum libri nullo morum doctrinæ dam-
 no forte abesse possent, parum admodum tradentes,
 quod in aliis non æque occurrat.

§. V.

Arg. ex ne-
 cessitate re-
 velationis
 desumptum.

Divinam S. Scripturæ dignitatem edocturi alii
 in eo omnem operam ponunt, ut necessariam ho-
 mini revelationem esse demonstrent. Cui quidem
 indigentia Deum succurrere voluisse, ex ejus boni-
 tate, summo in creaturas amore, sineque, quem cre-
 ator sibi proposuerat, certissime demonstrare sibi
 videntur. Hinc certos characteres ex natura ratio-
 num, quibus necessitatem illam illatam putant, ad
 veram revelationem a tot fictitiis distinguendam deri-
 vant. Requirit v. g. *ut defectus scientiæ de Deo*
ex parte tollat, miseriæ universalis, imbecillitatis hu-
manæ, originem, simul cum modo, quo Deus pecca-
tori ignoscere velit, hominem edoceat, ut decenter hæc
omnia faciat, nec veritatibus necessariis, nec ipsa sibi
repugnet.

Veris

Veris votis expetendam revelationem esse, si ex sequelis ejus, quales nobis representamus, certi quid concludere liceat, facile quidem concedo; hinc vero necessario sequi, ejusmodi dari revelationem, & si sequeretur, eam hisce characteribus tuto satis ab omnibus aliis posse internosci, ut minus credam, sequentia efficiunt.

Primo: an existat revelatio, seu, an Deus modo supernaturali hominum ignorantiae succurrere voluerit, *factum historicum* jure putatur, adeoque, nisi in se sit necessarium, a priori nobis innotescere nequit. Quid enim bonitas jubeat opt. Patris, quomodo perspectum nobis esse potest, quos innumerabilium rerum noticia fugit, quos adeoque latet, cujus generis effectus eventus iste in tanto hominum cœtu sit producturus. Nonne, si nulli assuesci revelationem, quali nobis opus putamus, delineare vellemus, inter ejus requisita primaria poneremus, ut vitam, quam post mortem vivere cupimus, clarissima in luce ponat? Nonne hoc maximum Numinis donum, validissimum virtutis incitamentum, speique fiduciaque fulcrum, desideraremus? Quam homuncolorum hic vanæ conjecturæ? eventus enim ipse nos edocet, id factum non esse, adeoque eam, quam summam nos putabamus, nullam humano generi fuisse felicitatem: si quæ enim fuisset, intensissimus Dei in creaturas amor spondet, eam nobis librorum s. ope concessam fuisse.

Sec. plura nostra ex probatione sequerentur, quam quidem derivare inde optabat Theologus. Flueret enim inde, non hominum alicui parti, sed

singulis, omni loco ac tempore, revelationem concessam esse; quod partim historia optime refutat, partim ipsa Scriptura S. rejicit. Non fugit hæc difficultas Theologorum quosdam, & eousque urgens quibusdam visa est, ut inter div. revelationis characteres ponerent, eam esse universalem. (c) Si enim per bonitatem Deo non licet, totum humanum genus illuminatione privare, quam allegabimus causam, ob quam, integros populos sibi relinquendo, justior videatur? Qui ipsi populi eorundem bonorum defectu, quo cæteri, laborantes ad felicem vitam aspirare, aternamque Deo ob peccata invisæ absque horrore prævidere nequeunt. Minime sane dubium, Deum hac sua in œconomia sapientissimas optimasque rationes sequi; quæ vero, cum ignotas eas venerari homo iussus sit, nulla nobis clausa aperiunt, nec decernendi facultatem conferunt, cui divinitus obtingere bona, cui minus, debeant.

Instant vero hujus demonstrationis defensores cl. ac de novo quasi suæ sententiæ fulcro gloriantur. Ita pergunt: Deum delicta hominum pœnis compensare velle, omni dubio prorsus vacat. Ast hac decurrente vita non exhauriuntur pœnæ, imo ex parte ne initium quidem capiunt; restabit itaque vita quædam futura, pœnarum opportunior locus. Jam vero cum hominum nullus, fanaticorum forsitan turba excepta, tantæ sit integritatis, ut facta suæ vitæ censura, delictorum contractique rea-

tus

(c) V. g. BUDDÆUS syt. theol. dogm. p. 19.

tus nulla conscientia prematur, num aliquam præ
 se fert veri probabilisve speciem, Deum opt. nul
 lum misero generi, quo justissimam iram effugere
 possit, medium concessisse, sed totum genus, idque
 congenito quodam furore miserum, diris cruciati
 bus devovisse? Veniam certe, melioribus saltem,
 Deum destinasse, vel inde constat, quod maximis
 rebelles beneficiis maçter. Credamus igitur necesse
 est, id medium orbi innotuisse, ne ipsa vita homi
 ni pœna videretur, neve Numinis metu desperantes
 omnem ejus amorem exuerent de salute frustra so
 liciti mortales.

Hæc fere hujus argumenti summa est. Ac
 cedunt quædam alia, quæ vero minus urgentur.
 Cui argumentandi rationi quid insit veri paucis ex
 pediam.

Primo: non quidem omnem huic conclusio
 ni vim usumque denegare ausim, nec tamen eam
 crediderim, cui in tanta causa tuto fidere liceat; non
 enim præmissæ hujus syllogismi satis certæ mihi vi
 dentur, cum præcedentia recogitans dubitare quis
 posset, num Deus præter naturales peccati sequelas
 hominem etiam aliis onerare pœnis, nec seriam vi
 tæ transactæ pœnitentiam reatus solutione coronare
 velit. Potuisset omnino eo delabi sana ratio, nec
 exempla suppliciorum, nec comminationes futuro
 rum noscens, prætereaque novis quotidie argu
 mentis edocta, Deum patrem non exuisse divini
 que amoris non rara in peccatorem profluvia esse,

Sec. ex parte quoque recurrunt, quæ præc.
 n. II. hujus §. notata sunt. Si vero vel omnem

probabilitatem imo certitudinem huic argumento dare velimus, nihil tamen ad probandam S. S. divinitatem facere videtur; cum id solum efficiat, dari aliquam revelationem; eam vero iis, quos veneramur, libris contineri, dubium erit, nisi res aliis rationibus suffulciatur. Tradant illi reconciliationis modum, debitamque Dei notitiam, aliaque, quæ hominum generis indigentia flagitare videbatur! Quid hæc omnia sapientum inventa, aut *veris saltem intermixta esse falsa*, dicere vetaret, non video.

Tertio: multo minori jure, in quod tamen omnis causa tandem resolvitur, inde concluderemus, *omnes*, quos volumen s. continet, libros altioris esse originis, normamque morum ac fidei infallibilem. Ponamus enim revelationem nostram omnes, quibus homines laborabamus, defectus explere, ea quæ Biblia continent, talia revera esse, qualia exoptabat ratio, restareque nihil, sine quo homo beatus esse non poterat; hæc omnia ponamus, inquam; nondum ego hinc concludere velim, libros, qui canonici hodie habentur, recte tales haberi. Quid enim! si libri hi doctrinam quidem Christi & Apostolorum generalem continerent, reapse vero ab eorum auditoribus nec fallere nec falli nesciis conditi, sicque posteritati essent traditi? Num in rebus, quæ rationi judici non subsunt, satis tuto iis fidere licebit? Scio equidem hanc, aliasque plures objectiones, posse delui; vereor tamen ne ita, rectiore eaque magis tuta ad veritatem via derelicta, animus argumentorum diversitate ac numero obstruatur.

Quod vero ad alteram hujus argumenti par-

partem, *revelationis characteres*, attinet, nec hos sufficere, cui veritatem ipsam, non veteres majorum sententias, assequi animus est, crediderim; mere enim sunt negativi, hoc unum evincentes, nullam revelationem esse divinam, quæ iis destituatur. Fictitiis adeoque refutatione condemnandis, quam veræ stabiliendæ, magis inserviunt. Ne quidem ad ponendam extra dubium singularis libri divinam auctoritatem quid faciunt, cujusmodi tamen indicia requirebantur, cum canon primo conficeretur, nobisque ipsis necessaria sunt, nisi quodvis theologiæ compendium eodem cum libris s. loco habere, divinitusque inspiratum venerari, velimus; eandem enim doctrinam sublimem, easdem theses rationi ignotas continet, quas volumen s., nec sibi, nec in genere veritatibus certis contradicit, & quæ reliqua sunt.

§. VI.

Aliud sequitur argumentum, sed cui diutius immorari opus non erit, dummodo ad præcedentia Lectorem remittere liceat.

Ex vi div. & assensu univers. desam. tum arg.

Nonnulli enim ex *vi quadam divina*, in aliis optimis libris non obvia, *universalique*, quo mundus religionem Christi dignatus est, *assensu*, divinitatem s. codicis efficere student. Quod ad *priorem* argumenti partem attinet, vereor ne jure quodam excipiatur, educationis & a prima inde juventute conceptarum animis opinionum vim eam esse effectum; id quod denegare non possum, exemplis edoctus, ficticia interdum oracula eodem affectu perlegi, falsissimaque sacra suos martyres habuisse. Quod al-

terius

teram concernit: *veritatem doctrinae*, quæ per apostolos mundo innocuit, & non sine divino quodam auspicio, inter varii generis obstacula, late adeo propagata fuit, non *divinam librorum nostrorum originem* probare valebit. Evincendum enim antea foret, hanc, nec aliam doctrinam iis contineri, & eo quidem modo scripto consignatam, ut jure divini ac infallibiles habeantur, seu id, quod demonstratum jam sumebatur, librorum hancce collectionem esse divinitus inspiratam. Ex longe lateque patente, Apostolorum jam tempore, christianismo historiae evangelicæ veritas satis certo colligitur, nihilominus autem sola humana arte exarati esse libri s. possent; ne dicam, quod per se cuique patebit, idem huic demonstrationi vitium inesse quod n. III. §. præc. notavimus.

§. VII.

Ex testimonio S. S. deducta ratio-
cinatio.

Alii potius ad *Testimonium Spiritus S.* unicum secundum ipsos certitudinis, hac in re, fundamentum & ab omni alio argumentorum genere diversum, provocare amant, argumenta cætera *secundaria* dicentes. Quod quam fiat feliciter, in tanta sententiarum diversitate animorumque contentione, hic loci discutere non licet. De eo L. B. monuisse sufficiat, rem nostram id non tangere, qui non in ea inquirimus argumenta, quibus huic illive, sed cuique sanæ mentis homini, ne infensissimo quidem sacrorum christianorum hoste excepto, modo velit, de dogmatum nostrorum veritate persuasum esse possit. His nequaquam accensendum quale ex testimonio interno ducitur; qua enim ratione eo convinci possit

possit alius necdum ejusmodi testimonium percipiens
 perspectum non habeo, redit enim omne hoc argu-
 mentum ad auctoritatem hominis ad perceptam
 Spiritus s. operationem provocantis: quem si fanati-
 cum, aut, si sanus sit, errantem quis dicat, non vi-
 deo, quæ via restet, qua in alterius partes deduci
 queat.

§. VIII.

Ad meliora mihi pervenisse videor sequens ar-
 gumentandi genus referens. Acturi scilicet alii de
 divinitate s. literarum, ad *miracula*, quibus olim
 Christus ac Apostoli divinæ suæ missionis tesseri-
 utebantur, & ad clarissima de rebus sero demum
 eventuris caliginosaque nocte *rectis vaticinia*, ad ver-
 bum nihilominus impleta, recurrendum esse ducunt.

Ex mirac, et
 Prophet im-
 pletis, dedu-
 ctum arg.

Ad veritatem accessere propius, nec tamen
 omnem tenent; superest namque error, quo eorum
 demonstrationes adhuc laborare videntur. *Primo*
 enim distinctior, in transferendis hisce characteribus
 ad libros s., proponendi modus desiderari posset.
 Non indicant viri docti, undenam tanta proban-
 di vi polleant, nec curant prima harum veritatum
 principia, ad quæ recurrendum ipsis fuisset. Nume-
 rum argumentorum utplurimum respiciunt, rerum
 ideas non item; unde nonnulli meris artium termi-
 nis lectores suos opprimunt. Qua via ingredien-
 dum sit, ne eadem repetam, §. XII. declarabo.

Sec. est alius in eo error, quod ex præ-
 missa miraculorum vaticiniorumque potiorum
 historia statim omnium librorum divinam auc-
 toritatem inferant: haud reputantes, esse scripto-
 res

res sacros, qui nulla nobis tradant eventu comprobata vaticinia, nec miraculis glorientur, quorum tamen decretis, in variis capitibus, æque nitimur; quem errorem cum in antec. jam oppugnaverim, denuo hic reprehendere superfedeo.

Tert. cum sola miraculorum patratorum facultas neminem divinitus inspiratum declaret, minus circumspicte procederet, qui ob nudam eorum patratorum inspiratum aliquem diceret; dispicendum enim antea fuisset, quo loco, quave dignitate, sua scripta haberi ipse Scriptor voluerit. Possidebant sane Corinthii miraculorum potestatem, nec tamen eorum scripta, si quæ superessent, facile divinitus inspirata habiturus essem, cum fallibilem eorum conditionem, ex Pauli epistolis, optime edoctus sim, nec recorder, Christum Apostolosve iisdem erroris immunitatem pollicitos unquam fuisse.

§. IX.

Hisce præmissis, pauca mihi h. l. monenda supersunt, antequam ad ipsam meam causam progrediar. *Primum* est; ne liberius dicta in antecedentibus quis inique interpretetur; quod si futurum prævidissem, ab omni argumentorum enumeratione destitidissem, modo sine propriæ causæ damno id fieri potuisset. Quominus vero hac in parte temperaverim, ea obstitit animorum indoles, qua supervacanea facile judicamus, quæ ultimæ necessitatis non videntur, & antiquioribus, quibus imbuti sumus, argumentis justo plus inhærentes, de novis parum solliciti ne vetera quidem satis ponderamus.

Nun-

Nunquam hinc propior veritati, quam subnata dubitatione, mihi videor. *Alterum* est: ne quis existimet, me argumenta, quibus examinandis hucusque operam navavi, eo ipso omni usu privare voluisse. Partim enim animum ad ponderandas rite probationes præparant, (æquiores enim esse iudices solemus, nec tot obstaculis impeditur assensus, ubi de rebus optimis nobisque optabilibus agitur.) partim ipsam meam demonstrationem, sed immutata forma, ingrediuntur.

Caput II.

§. X.

Eo nunc perventum est, ut dicam, quam ego viam calcare a cæteris tanquam minus opportunis desectens constituerim. Itaque meo in probationis genere primum est, ut omni studio inquiratur, quid sibi velint Theologi, dum librum *divinum, inspiratum, canonicum* (d) dicunt. Differunt eorum definitiones, nec eosdem characteres singuli requirunt; falsos & supervacaneos addunt alii, quos erectior agit spiritus, in solis veris subsistunt. WALTHERUS (e) v. g. de V. T. differens hæc habet. *Libri canonici scriptus esse debet a Propheta, (bene hæc!) & lingua quidem hebræa, ita ut secundum ipsum, & cum alio παναρχμονικως in omnibus*

C 2

„per

(d) Scio vocem *canonis* non omnibus unum idemque dicere, cum alii latiore, strictiore alii sensu sumant; quos posteriores h. l. sequimur.

(e) In offic. bibl. p. 436.

„per omnia consentiat, ut nullibi impingat in
 „veritatem, grammaticam, vel dogmaticam, vel his-
 „toricam, vel chronologicam; contineat porro tes-
 „timonium de Christo venturo, (sunt ejusmodi
 ut partim abesse possint a libro s., partim in non-
 nullis desiderentur; nec divinitatem ulli conciliant.)
 „allegetur, quod sane de plerisque probari potest,
 „a Christo, aut Apostolis, ac denique testimonium
 „habeat ecclesiæ judaicæ.

Quem librum iis nominibus ornandum cen-
 seo, is esse debet, *cujus Auctor, ex voluntate divi-
 na, docens errare non potuit; seu, ut aliis idem
 verbis enunciem, qui ab Auctore profectus est, cujus
 verba sua haberi voluit Deus.* Hæc si Bibliis nostris
 definitio competat, tunc demum legis locum jure
 obtinebunt, eamque, quam flagitamus, operam præ-
 stare nobis poterunt. Nec aliud volunt sibi Theo-
 logi cæterique s. literarum studiosi, cum de divina
 librorum origine verba faciant. Non sapientum
 eloquia, nec philosophorum præcepta, nec optimo-
 rum antiquitatis legumlatorum statuta, sed ipsum
 hominum patrem in s. voluminibus jura dantem
 pie venerantur. Apparebit id satis dilucide, si ob-
 servemus, quam ipsis quotidie auctoritatem singuli
 tribuant. Fingamus itaque adorandam de s. s. Trinita-
 te doctrinam in quæstione esse; nullus vel stupendi
 ingenii philosophus in decidenda quæstione sedere ju-
 dex poterit. Quæ hic intricata sunt, intricata manent,
 donec vel ipse Deus, vel is, quem arcanorum suorum
 participem fecit, rem tantum non incredibilem,
 saltim inexplicabilem exsolvant; soluta autem in
 scriptu

scripturis quæstio nemini non christiano divinitus soluta videbitur. Vel, ut alio utar exemplo ex historia s. desumpto: Mosi credimus omnem, ipsam, que creationis historiam, quæ plus bis mille annis ante ejus tempora contigit, quamvis minus liquido constet, habuisse eum monumenta, ex quibus omnem suam historiam conscripserit. Antecesserant ipsum hominum prima infantia non scripto, sed traditione orali, historias propagans ac eam ob causam facile immutans, mundi fere totius everfio, servilis, hinc studiis infensa sui populi ætas; quare nequidem historicus primorum temporum videri nobis deberet, eo minus, cum non pauca referat, ipso humano genere, omni teste, antiquiora. Quæ & alia, omnem ipsi fidem humanam derogare possent, nec tamen dubitamus, quin, uti enarrat, gesta sint omnia, quamprimum ejus scripta testes indubie appellare valemus. Siccine quis sentiret, nisi infallibilem Moysen crederet, seu, quod idem est, verba ejus Jehovæ oracula veneraretur?

Non ergo sufficit Auctoris s. sua scripta vindicasse, iisque testium omnia requisita non temere tribui, demonstrasse; ostendendum præterea est, auctores ipsos *infallibiles, Deique loco locutos fuisse.* Quare nullus scriptor divinus habendus est, nisi qui erroris immunem summi Numinis nuntium sese professus missionis suæ argumenta omni exceptione majora exhibuerit. Quænam hæc sint argumenta nunc dispiciamus. (g)

C 3

§. XI.

(g) Non ignoro esse viros doctos qui inter scripta *apostolica & canonica* discrimen aliquod constituent, con-

§. XI.

Cujus generis argumenta alia in promptu esse poterant Apostolorum cœvis, alia nobis esse possunt; prioribus nescio an præter *miracula* assensum quid exprimere debuerit. Fingamus enim, civium quendam Dei se nuntium legislatoremque jactare; quomodo dictis ille suis fidem conciliabit? Non certe pietatis suæ fama veritatisque satis noto amore! (non enim deceptorem, sed male sanum, ducturi essemus, si quis v. g. historiam creationis mosaicam ignotis hucusque circumstantiis augere, assensumque nostrum sollicitare auderet.) Nihil omnino erit, quo fidem sibi conciliaverit, nisi miraculis ipsi concessis Deus intercedat. Duplicis ea generis esse constat: vel enim in mundo *corporeo*, vel, ut dicitur, *spirituum*, eveniunt. Cujus posterioris generis miraculum dico: si ea scire homini contingat, quæ scire mortalis nemo poterat; sive ea sint præsentia, (h) sive futura. Poste-

tendentes, non quælibet ab Apostolis scripta in cano- nem statim fuisse recipienda. De scriptis Apostolo- rum deperditis motam quætionem hujus interstinctio- nis causam esse, facile quis intellexerit. Probare illam minime valeo, nec admittenda videbitur, nisi eatenus tantum, quatenus innuat, Apostolos alia quoque scri- pto consignasse, quæ non, uti reliqua, agitanti in ip- sis spiritui, sed propriis suis curis industriæque acce- pta ferenda voluerint. Facti autem ab Apostolis isti- usmodi discriminis certitudinem historicam non habemus. Nulla ejus mentio, nec in eorum, & quantum quidem memini, nec in Patrum quoque scriptis.

(h) Joh. I. 48, sqq. cap. V. 17. 18. 19. exempla vide.

Posteriores vero, qui, postquam fato functus est scriptor s. vitam agimus, partim in miracula patrata inquirere possumus, quantum monumenta temporum, quibus res istæ gerebantur, concedunt, partim, ubi hisce destituimur, viam aliam paratam habemus, qua de canonica libri alicujus auctoritate certe nobis constare possit. *Indubii nimirum Prophetæ insequentis, Ecclesiæve, testimonium* superest.

Laudata hæc in antecedentibus argumenta miraculis vaticiniisque eventu comprobatis maxime superstructa recte demonstrationis loco haberi, in sqq. §§. probatum ibimus; brevibus vero antea ostendam, nec ipsum Christum, nec Moysen, nec Apostolos sibi fidem alio modo apud auditores fecisse, neque Patres eandem probationis viam ignorasse.

Sic Moses, ut rem exemplo illustrem, Pharaoni Israelitisque divinam suam missionem persuasurus edito miraculo priorem, ad simile quid provocando, posteriores in assensum rapit (i)

Nec ad alios fontes Christus Apostolique suos auditores remittebant. Si exempla desiderentur, illustriora quædam percurramus, cæteris proprio B. L. examini relictis. Primum promo ex Joh. V. 30-37. Sabbatho egressus Christus in hominem incidit inveterato morbo decumbentem, cui sanitati restituto injungit, ut lectulum tollat, adeoque sabbathum profanet. Quod cum usque adeo ægre ferrent Judæi, ut & vitæ opt. Salvatoris insidias para-

rent,

(i) Exodi IV. 1. sq. VII. 2. 9. Num. XVI. 28. 29. 30. Conf. quoque 1 Reg. XIII. 1 - 4.

rent, Christus causam suam acturus ad exemplum ipsius Dei provocat magnum illud Sabbathum, in cuius tantum memoriam suam celebrare divinitus iussi erant Judæi, aliquando posthabentis, miracula scilicet patrando, sibi que æqualia cum patre jura tribuit v. 17. Quibus suis dictis cum facere fidem vellet, Patris se legatum professus (ne in re propria testem ageret.) adjicit, habere se testem non Joannem aliquem, sed Deum ipsum, v. 33 - 37. ex concessa sibi miracula patrando potestate, facile agnoscendum. (k) Caveamus igitur, ne miracula Christi benigni liberalisque erga miseros animi effecta putemus, sunt & publica documenta missionis illius, quam divinam præ se ferret Salvator.

Pari modo Apostoli mundo religionem Christi persuasuri non humana sapientia, non oratorum arte, sed operibus miraculosis Christo ecclesiam parabant. (l) Nec solum ipsi hunc in finem miracula patrabant, concedebant præterea suis auditoribus eorundem exequendorum potestatem, (m) quibus proinde divina eorum missione nulla dubitatio superesse posset.

Nec ab hac methodo abhorruere Patres. Ita AUGUSTINUS (n) orthodoxorum catechizandi rationem contra manichæos defensurus, „si enim, inquit, „dixerimus homini gentili, crede Christo, quia Deus „est, & responderit, unde credo? Prolataque auctori-

(k) Vid. porro Matth. XII. 39. 40. XVI. 4. Marc. IX. 39. Joh. X. 37. 38. XI. 41 - 44. XX. 30. 31.

(l) 1 Cor. II. 4. 1 Thess. I. 5. (m) Heb. II. 3. 4. VI. 4. 5. Gal. III. 2. (n) Contra Faustum cap. VII.

„toritate Prophetarum iis se non credere dixerit,
 „quod illi Ebraei sint, ipse paganus, ostendimus fi-
 „dem Prophetarum ex iis, quæ eventura cecinerunt,
 & venisse cernuntur. Hinc quoque est, quod Pa-
 tres libris s. divinam dignitatem vindicaturi toti in
 eo sint, ut demonstrent, esse eos ab Apostolorum
 manu certissime profectos, & eo consilio veterum
 testimonia colligant ad traditionemque provocent. (o)
 Quo referri posset AUGUSTINI illud, *non crede-
 rem evangelio, nisi me commoveret ecclesiæ auctori-
 tas.* (p) Non enim Manes ejusque sequaces tales
 videri volebant, qui divinam Christi missionem in
 dubium vocarent, sed qui de integritate S. Scripto-
 rum dubitarent, quorum alia quidem corrupta, alia
 crederent suppositicia; ex hac enim antichesi verba
 ejus capienda sunt, cui convenienter de integri-
 tate librorum, non vero de sanitate doctrinæ ist-
 hæc viguisse quæstio videatur. Provocat ad eccle-
 siam, non tanquam ad judicem de credendorum
 dogmatum dignitate ac veritate decernentem, sed
 tanquam ad rerum gestarum *testem*, cui quid a
 manu apostolica profectum, quid non sit, incogni-
 tum esse haud potuerit.

Ab aliis hanc in rem exscribendis abstineo, re-
 curret enim hæc materia §. XV. ubi præcipuos
 quoque fontes B. L. citatos inveniet.

§. XII.

Cum igitur omnem suæ doctrinæ fidem a mi-

D

racu-

(o) Vid. EUSEB. h. e. Lib. III. c. 3. & 25. V. 28. TERTUL.
 adv. MARC. Lib. IV. & V. Lib. de Baptif. c. 17.

(p) Cont. Epist. fund. c. V.

raculis & Christus & Apostoli repetant, operæ præ-
tium laturo sumus, si inquisiverimus, *utrum & un-*
denam tanta illis vis insit, ut iis productis omnia
credere, nihilque dubii retinere debeamus. Præ-
mittenda quædam de definitione veri nominis mira-
culi. Cui fere affueverunt Theologi, hæc est: quod
sit *eventus supernaturalis Deum auctorem habens, seu,*
actus omnipotentia.

Non nego quidem, posse miracula immedia-
ta Dei esse opera, & fuisse aliquando. Contrarium
vero quomodo in dato quovis casu refutari queat,
nescio; nec enim probabilitate, si rationem audias,
nec certitudine, si s. literas testes excitare velis, de-
stituitur, adesse præter hominem creaturarum ge-
nus nobilius, cujus quousque, jubente Deo, vires
valeant, incertum est. Angelorum itaque, quo no-
mine mihi uti liceat, an ipsius Dei potentia pera-
gantur mirandi effectus, in dubio versabitur.. Cl.
NOLTENIUS (q) propositam definitionem deserend-
am esse negat, & eam quidem ob rationem, quod
sit ex s. literis hausta, adeoque verissima. Allegat
vero vir cel. Joh. cap. III. 2. Ubi non nisi ver-
ba Nicodemi leguntur, de cujus inspiratione mo-
veri quæstio posset. Eo sane argumento tribui
ipsi nequit, quod verba ejus alleget Evangelista,
nisi & Phariseos inspiratos dicas, quorum verba
hinc inde citata occurrunt. Verum, paucis interjec-
tis, ad incitas redactum sese ipse cl. Auctor sentit,
&

(q) J. A. NOLTENIUS, in Dissert. argumentum pro verit.
Relig. christ. ex miraculis desumptum sistente. Sect. I. §. 4.

& in probanda definitione circulum apertissime committit; quinam enim eventus inter immediatas Dei operationes referendi sint, ex ipsis s. literis decernit, supponitque quæ probanda primum erant, hæc nimirum literas omnem fidem in iis quoque mereri, quæ novisse homini non datum est.

Ut vero ad rem meam dubiamque in antec. contra receptissimam miraculi definitionem propositum redeam, non habet quidem quo animis hominum sese insinuaverit. Mera tantum probabilitate, nec eadem summa nititur. Dari enim Spiritus, quorum ea sit potestas, quæ prodigiis patrandis sufficiat, sibi relicta rationi incertum est, multoque minus eorundem cum mundo nexum ac nullibi visas in hominem actiones assequitur. Nec tamen desunt hostes, qui augustissima facta magicæ, & nescio quibus aliis artibus adscripta volunt. Imo, quod neminem latet, totus Judæorum populus in eandem aliquando ivit sententiam, stolidam utique, cum facta negasse præstitisset.

Optione hinc minime dubia alia recipienda miraculi definitio retinendaque nobis erit. Meam facio, qua miraculum dicitur: *eventus naturæ legibus contrarius omnemque hominum operam excedens, quem adeoque homo ab immediata Dei actione inter noscere nequit.* Ejusmodi miracula recte demonstrationis loco haberi ut ostendam, nunc allaborabo.

Primo: ponamus Deum creaturarum nobilioribus eam concedere velle potestatem, qua errores, quos vel impii vel enthusiastæ promulgare cupiunt, stupendis prodigiosisque factis munire possent, om-

nem omnino occasionem sibi adimeret, qua humano generi aut nova præcepta præscribere, aut supremum dominum se sistere, aut paterno consilio in rebus deperditis succurrere valeret. (Quas enim artes semel deceptrices sensit homo, in posterum meliores non putabit.) Num vero probabilitatis vel ulla specie gaudet, Deum imperantem simul & patrem plane exuisse? Cum ea recenter conditi humani generis esset indigentia dubiaque nunc hominis conditio, ut revelationes divinitus concessas vel sibi relicta ratio speret. Permitteretne Deus, ut suum opus negligere hominemque odisse videatur? Videretur autem, si in tanta miraculorum veneratione, qua homo tenetur, ad stabiliendum mendacium æque ac veritatem ea fierent, miserosque in errorem invitos raperent.

Sec. sunt plura alia quæ huic systemati opponi possent. Si quis enim ignotas nobis creaturas, quam Deum ipsum, miraculorum auctores habere mallet, vel *bonis* vel *malis* genis tribuenda haberet. Illi omnino piam fraudem recusabunt, & non nisi jubente vel approbante Deo miraculorum, quibus vera muniuntur, patrandorum provinciam in se suscipient. Quo modo si Angelis accepta ferantur, quod contra moneam, nihil habeo, justissimam regulam secutus, quod quis per alium fieri curat, ipsum fecisse putari. An vero *malis*, in Deumque & hominem inimicis animis quis ea tribueret? Fateor, nec magis hebetem, nec majoris insanix me nosse sententiam. Ea enim est Evangelii doctrina, idque miraculorum, quibus confirmatur, genus, ut
ange-

angelorum reipublicæ nihil quicquam durius aut contumeliosius accidere potuisset. Sed forte ea omnia æquo animo callidus hostis ferebat, ut eo certius omni suspitione adempta in errorem duceret hominem, sub specieque cibi salubris venenum ei proponeret virulentissimum? At ubinam quæso hocce venenum? Quid mendacii, quid indigni, quid indecori, in s. literis inventum prolatum unquam, quod ingenuorum hominum examen sustinere valuit? Nonne per tot secula iteratis criminationibus provida Dei cura tanquam totidem stimulis usa est, quorum ope fieret, ut veritas obscurata veteri evidentia pristinoque splendori restitueretur? Quem itaque in finem, aut cui bono spiritus maligni si vel potuissent, miracula edidissent, non video. Tanto vero libentius hoc usus sum argumento, cum eodem ipse Christus Judæorum impietatem refutaverit. Matth. XII. 24. sq.

Tertio: Rerum futurarum prædictiones non possumus non ex eodem fonte derivare, qui cætera subministrasse miracula statuitur. Cui vero, quas S. S. continet, Prophetæque memoriæ prodidere, longas eventuum series certo prævidere datum est, jure illum *omniscium* dixeris. Cujus argumenti vim omneque robur ut perspicias, adi §. seq. ubi de Vaticiniis, divinitatis tesseris, sermo nobis erit.

Itaque sive Deus per immediatam omnipotentiam mundi ordinem legesque solvat, seu necdum agnitis ab hominibus ministris suis magnum hoc patratorum miraculorum munus committat, utroque modo oracula, quibus constabiliendis inserviunt, vera esse pronuntiabit, suaque faciet.

Quæstio hic tractari posset, an nonnunquam ad tentandum hominem, ut dicitur, mendacia miraculis confirmet Deus. (r) Concedunt id Coccejus, alique; nec absolum esse videtur, modo in re ipsa tali prodigio exornata adeo conspicua tentatio statuatur, ut quid agendum, quid non, sit, nemini homini incognitum manere possit. Quidquid interim hujus rei sit, neque enim multum facit ad præsens institutum, suo quemlibet sensu hic abundare facile patior.

Num hoc vel illud veri nominis fuerit miraculum, caute inquirendum esse, res ipsa loquitur. Nec tamen ea opus erit inquisitione in plerisque eorum, quorum meminit Scriptura, quod ejusmodi fere sint, quorum genuina indoles nullum dubitationi locum relinquat. Teneatur interim, posse aliquid in miraculorum numero poni, eundemque, quem cætera, usum præstare, cui, si ipsum eventum spectemus, definitio mea non competit. Solet maris rubri divisio ea vulgo inter miracula referri, quæ divinam Moysis legationem arguant. Ast revera miraculum non erat, cum ipse Moyses Ventum fluxui contrarium ejus causam nominet; hæc enim sunt verba ejus. Ex. XIV. 21. „Et extendit Moyses manum suam super mare, & abegit Jehova mare per וַיִּבְרַח הַיָּם ventum contrari-

(r) Quam in rem æque, ac totam de miraculis materiam, legisse neminem pœnitebit libri partem primam, cui titulus est, a vindication of christian religion, by Sam. Chandler, etli varia minime probanda eadem continet.

mirum (s) (Eurum, ut verti solet.) vehementem tota illa nocte, redegitque mare in sicum, & diffi-

sa

(s) Phrasin קרם רוח per ventum contrarium explicavi; quæ vocis significatio dubia nonnemini videri posset. Interpretum, quantum fere eorum notico, sententia est, vel Eurum, vel ventum in genere vehementiorem hic innui. Operam itaque impendam, ut significatui, quem, mea quidem ex opinione, hic locus flagitat, probatio non desit.

1) Convenit hæc vocis notio cum radice קרם, ante fuit, obviam venit, (Deut. 23. 5. Jes. 21. 14. Neh. 13. 2. Jobi 3. 12. quibus locis ita quoque vertunt LXX. Int.) & derivato קרם, prioritas & loci & temporis. קרם קרם iidem Int. reddunt, resistere, contrarium esse, Jobi 41. 3. seu sec. illos 5. 11.

2) Conspirant in eundem vocis significatum reliquæ orientis Linguae. Chald. enim קרם est pars rei anterior, & in Targum hebr. קרם לפני plerumque responder. Verbum vero קרם idem us quod hebræis donorat. Nec deest arabum hanc in vocis notionem deducens testimonium; quos apud verbum nostrum eodem significatus sortitur, etsi in significationibus translatis magis sit obvium, ubi nempe fortitudinis etc. sensu venit.

3) In versione athiopica Matth. 14. 24. per קרם או מקרם נפש reddita sunt græca ἐναντίος ἀνεμῶς. Qui locus adeoque probat, non solum derivationis opportunitatem sacrorumque quorundam locorum ipsam naturam, sed loquendi quoque usum meis ex partibus stare.

4) Vertunt græci Interpretes vocem nostram קרם per ἐναντίος Ezech. 47. 3. ita ut קרמה Hab. 1. 9. & קרמה Jos. 19. 12. 13. Ezech. vero c. 41. 14. hebraico קרם illorum κατεναντι responder. Unde, si quid video, optime patet, eam, quam voci tribui, vel ejus simillimam notionem iis minime ignotam barbaramque fuisse.

Mira

sa fuit aqua. Jure tamen inter miracula mirabilis ponitur eventus, quem hæc verba describunt, nume-

me-

Mirabar sane, dum hæc evolverem, detegere me, non uno loco eosdem Int. phrasin קדים רוח per βοτος explicasse, quam fere semper καυσωνα vertere consueverant, Ezechielis versionem si excipias, quæ orientens amat; cujus erroris originem indicare nondum mihi datum est. Prima, quæ animum ingrediebatur, ænigmatis solutio hæc erat; Notum h. l. pro quovis vento, more poetarum latinorum, esse positum. Ast vana hæc est conjectura, cum eorum βοτος nunquam hebraicæ voci, nisi australes partes signanti, respondeat. Verisimillimum nunc mihi videtur, rem ita contigisse. Cogitabant laudari Alexandrini, quoties obvium habebant ebr. קדים רוח, de vento comburente; quibus vero in locis is minus quadrabat, alium substituebant, ex eadem quidem cum isto mundi plaga spirantem, sed benigniore natura ab eo interstinguendum, *Austrum*. Ventus enim plantis quibuscunque, ipsique homini noxius, ab alio infentissimoque, cui samum vel Samiel (vid. Thevenot. Voy. du Levant. P. H. L. I. c. XII. p. 182.) nomen est, diversus, non solum e plagis orientalibus, quæ patria ipsi esse ducuntur, sed & meridionalibus, & quidem in Egypto sæpissime, spirat. (Vid. Wansleb, Relation d'une Voy. fait en Egypte pag. 39. sqq.) Cum autem in hac regione suam versionem composueriat mem. Int., non est vero absurdum, veram in antec. erroris causam latere.

Quod ad primum locum, qui supra citatus fuit, Ezech. 47. 3. attinet: non quidem interpretis versionem meam facio, id tantum inde cogens, quem laudavi vocis קדים רוח significatum, tunc temporis ignotum non fuisse; (lectionem enim non variasse inde video, quo-

merumque argumentorum, quibus divinam Moy-
sis legationem evincimus, non immerito auget:

E

a mi-

quoniam & alio loco eadem versio obtinet, & Syrus
Chaldaeusque easdem literas legerunt.)

5) Ut ad superiorem meum scopum redeam, non pa-
rum ad exprimendum assensum conferre, atque signifi-
catum minus obvium jucundiorum quodammodo facere
videtur, si moneam, alia quoque Scripturae S. loca clario-
rem magisque concinnum sensum, hac *contrarietatis*
assumpta significatione, fundere. In his locus Ezech. 27.
26. Non enim video, quare *Eurus* praeter quovis alio forti-
ori vento nominandus fuisset. Nec est, quod de ven-
to comburente cogitemus, mari enim ille minime sen-
titur. Thevenot, *Voy. du Levant.* p. H. L. I c. XII. p.
182. & sq. *Contrario* vero male habere nautas, cuique
rei gnaro patebit. Adde Jobi 27. 21. & Pl. 48. 8. cui
tamen soli causam superstructam nollem.

Major mihi locorum exscribendus numerus foret, si
nullam praeter *Euri* notionem agnoscere velles; tam in-
concinnus enim pluribus in locis est orationis nexus, ut
nunc devorantem quavis obvia *Eurum*, nunc minus
pestiferum, nunc ventum quemvis vehementiorem suis
versionibus expresserint interpretes.

Hae itaque significationum verbi עור, ejusque de-
rivatorum, erit conditio & quasi genealogia, ut

1. Denotet, *a parte anteriore esse.* Quae significatio dum ad
varia objecta transtertur, ipsa variat; v. g. *ad Bellum*,
ubi praecedentes strenuorum intrepidorumque nomen for-
tiuntur: hinc

2. *Strenuus, fortis, validus fuit.*

Cum vero fortitudo prima hominum laus fuerit, sit-
que in hunc usque diem inter inconditas bellicosasque
gentes fere unica, inter omnes praecipua, eoque, ut

a miraculo enim non abludit, quod eventum prævide-

in majore linguarum parte *Virtuti* nomen dederit, hinc nascitur.

3. *Fama gloriæque notio.*

4. Ad rem geographicam ac naturalem translata vox novas iterum signif. fortitur. *De Vento* adhibita e regione anteriore spirantem, i. e. contrarium denotat. Si vero porro geographorum orientalium morem observes, quo imaginatione orientem, ut nos septentrionem versus prospiciunt, liquido patebit, qua ratione

5. In derivatis de plagis anterioribus, seu *orientalibus*, ventoque inde spirante, *Euro*, frequentari coeperit.

Cum vero *Eurus* in Arabia proximaque *palestina* sit maxime noxius, imo nonnunquam interitum per omnia spargat, ratio patet, quare vox קרוך interdum

6. præcise hunc *pestiferum*, nec alium ventum innuat.

Elucet e præcedentibus, quod sperare audeo, significationem, quam voci קרוך tribui, eidem denegari minime posse. Superest itaque, ut probem, hanc in specie nec aliam in *Moyfis* relatione obtinere. Suppono, quod quisque mihi dabit, cui veritatem, abjectis opinionibus præjudicatis magistrorumque auctoritate, insequi animus est, *Moyfis* historiam ventum tunc temporis Deo providente spirantem tanquam maris exsiccati causam, si non proximam, saltim ministram nobis sistere. Quid enim? Num *Deus*, dum miraculo id efficere constituisset, quod causarum nexus non permittebat, eundem hunc nexum in oppositam partem, consulto quasi, inflecteret? Alienum sane hoc foret a divina, quam in reliquis miraculis cernimus, consuetudine. In iis enim, quantum fieri poterat, naturæ ejusque virium habitam rationem fuisse notum est. Quod si ergo ventus divina

direc-

viderit Moyses, quem nemo homo prævidere potuisset.

§. XIII.

Ad alterum characterem pergendum est, quo divinos libros ab omnibus aliis internoscamus, *vaticinia* puta *eventu comprobata*. Esse ea in intellectu miracula, jam supra monui, eademque hinc, qua reliqua, veneratione digna. Hæc sit nobis vaticinii definitio, qua dicitur *prædictio rei futuræ contingentis, pluribus circumstantiis distincte determinatæ & aliquo interjecto temporis spatio demum eventuræ*. Scio equidem & alia prædixisse sanctos Dei nuntios, nec omnes characteres, quos exprimit mea definitio, ad veri nominis vaticinium necessario requiri abesse tamen ab iis non poterunt, quibus tanquam argumentis utimur. Talia igitur si quis ediderit Propheta, effata ejus, postquam implementum illis non defuit, sive ore, sive scripto prolata fuerint, *jure divina* habentur. Patebit id, quamprimum demonstratum fuerit, definitionem ejusmodi

E 2

even-

directione, quam innuit Moyses, excitatus rei memorandæ causa exstiterit, in aperto est, non Eurum, sed spirantem ex alia plaga ventum per קדים רוח significari. Vento enim ex orientalibus plagis spirante maris erythræi undæ ad arabicæ quidem litora premi, non vero inde depelli potuissent.

Si vero hisce omnibus ponderatis alicui minus placere ista contrarietatis notio pergat, sumat sibi aliam, mihi prolaram, cui adstruendæ operam dedi, relinquat, donec melior minoribusque difficultatibus vexata alia innotescat.

eventuum hominis ingenium superare, majoremque imo divinum intellectum sapere, & ea propter miraculis non immerito adnumerari; quam demonstrationem, si qua opus fuerit, quivis facile paratam habebit. Is enim est rerum omnium indivulsus nexus, idque minimorum cum maximis occultum commercium, motivorum denique, quibus ad agendum determinamur homines, inperscrutabile mysterium, ut omnem detegendorum futurorum spem abjicere, simul agnoscere cogamur, solius Dei hoc esse negotium, qui prudens futuri temporis exitum caliginosa nocte premit. *Eo magis in eruendis futuris homo coecutiet, quo magis circumstantiarum numerus, interjectique temporis spatium augetur.* Plura si quis hac de re cupiat, adeat cl. MICHAELEM in loco cit. (t) ubi numeris computatum inveniet, quam sit exigua implendæ conjecturæ probabilitas; meliora mihi desunt, dignus quoque liber, ut singulorum, quibus factiora studia curæ sunt, manibus teratur.

Si quis igitur vaticinandi facultate polleat, intellectus viri divina luce collustratus superque vires naturales erectus luculentissimum miraculo testimonium exhibet. Inesse vero miraculis vim probandi, in antec. traditum est. Illic dicta & hoc loco valebunt, cum non nisi solius Dei sit, ea certo prævidere, quæ mille modis variari poterant.

Id adhuc monere liceat, non eo valere hoc argumentum, quod tamen quibusdam visum est,
ut

(t) Einleitung in Die H. S. des N. Bundes p. 1. S. 90.

at coevis suis Propheta divinus sistatur internun-
 tius; nulla enim vaticiniis probandi vis inest, nisi
 eventu comprobatis. Veneramur in vaticiniis pro-
 vidam Dei curam, non uno tantum tempore suis
 legatis fidem facientem, sed & eandem illis conser-
 vantem, reclusis hunc in finem perennibus fonti-
 bus, unde libris eorum novus identidem splendor re-
 stitui, eaque adimi dubiorum moles possit, quæ
 longinquitate temporis historiarque inopia oriri fa-
 cile solet. Quam non Judæi divinum Jesajæ librum
 recipere venerarique debebant, omni de liberan-
 do populo impleta propheta, in qua historicum
 magis oculatumque testem egisse, quam fata seræ
 progeniei cecinisse s. Vates videbatur! nobis, vel
 feriorum ætatum generationibus simili ratione pro-
 spexisse humanæ indolis non immemorem Patrem,
 vel ex solius Pauli de Judæorum universali con-
 versione loquentis vaticinio constat. Ad Rom. XI.
 25. 27.

Observeo præterea: *combinandum videri hoc ar-
 gumentum cum ecclesiæ testimonio*; quod eo defi-
 ciente per sola vaticinia necdum in tuto omnimoda
 libri divinitas collocata videatur. Poterat enim ali-
 quis ex Prophetarum auditoribus oracula eorum
 chartis mandare, suaque illis addere; idque revera
 factum fuisse non omni probabilitate destitueretur,
 si quis laudaretur liber divinus, a tota non agni-
 tus ecclesia, nec ab eadem in canonem receptus.

§. XIV.

Tertium libri divini characterem *indubii pro-
 phetae testimonium* constitui. Is enim alienum opus

probando *suum* facit, quod proin non minus divinum censendum, ac id, cuius ipse auctor extiterit. Cavendum tamen est, ne Prophetæ testimonio munum putemus, cuius vel verbis, vel in historicis fide utitur. Aliud enim est, latam divinitus vitæ regulam, aliud boni viri scriptum quid dicere; nec etiam, qui alienis verbis animi cogitata prodit, latentes sub iis alterius sententias eo ipso suas facit, multoque minus totum, unde depromta sunt, scriptum statim approbat. Variis vero modis Prophetæ ejusmodi testimonium exhiberi posse, nec semper expressis verbis, formulaque quadam singulari opus esse quivis facile perspiciet. Nunc enim ad alterius dicta tanquam divina provocando, nunc aliena comprobando, nunc, ubi contradictioni locus esse videbatur, tacendo, nunc diverso ab hisce modo datur. Plura suo quæquæ loco monenda reservamus, ubi Prophetarum cum ecclesia consensum evincere conabimur.

§. XV.

Quartum, idque ultimum restat divinitatis indicium, *Ecclesiæ testimonium*, quod duplicem nobis usum præstat; partim enim *quis auctor sit libri, quove illum loco haberi voluerit*, nos edocet, partim etiam documento est, extitisse olim rationes, propter quas hi magis libri, quam alii, in canonem recepti fuerint. Adesse enim ejusmodi poterant rationes, & adfuerunt procul dubio, licet Scriptura de illis sileat. Sic forte Lucas Marcusve, dum inspirata sua scripta dicerent, miraculis patris fidem
suis

suis dictis conciliarunt, vel quis alius, isque indubius summi numinis legatus ea probavit. Omni exceptione majori argumento ægre adeo destitueremur, defectum nisi suppleret ecclesiæ testimonium.

Utut autem primis christianis plura divinitatis documenta ad manus esse potuerint, quam quidem nobis sunt, est tamen vel maxime etiam dispiciendum, an non forte *creduli ac in canone amplificando temerarii fuerint?* Pendent ab hac quæstione pleraque, ne dicam, omnia; siquidem prima probationum nostrarum fundamenta meræ christianorum auctoritati historicæ superstructa sint. Ponamus nunc, eos per errorem humana, nulloque superiorum afflatu conscripta volumina inter canonica posuisse, liceretne tibi, nunc majore, nunc minore reverentia eorum sententiam prosequi? Majoris vero discussionis hæc res est, quam quæ his paginis capiatur, digna tot virorum labore, quem ei doctissime, maximoque cum successu, impenderunt (u)

§. XVI.

(u) MOSHEMIUS, in vindiciis antiquæ christian. disciplinæ, contra TOLANDUM editis.

LARDNER, *credibility of the gospel history*. Seu ex inscriptione, quam WOLFIIUS suæ versionis præmisit, *fides historię evangelicæ*.

BEAUSOBRE, *hist. du MANICHEE & du MANICH. T. I. p. 440. sq. & alibi*.

STOSCH, *diff. de cura vet. Eccl. circa Libros S. N. Test.*

FRICK, in *comment. theol.-crit., de cura vet. Eccl. circa canonem S. S.*

ENSIUS, in *Biblioth. S. inter alia p. 385.*

MILLIUS, in *proleg. ad N. T.* LILLI-

Huic materiei monita quædam nunc adjiciam, quorum primum sit, non aliquam ecclesie partem, sed totam eam esse, cujus unanime votum, ubi cætera argumentorum genera deficiunt, hic valeat. Quis enim inter divisam turbam Judex sedebit? Quis dubiæ veritatis justam causam defenderet? Semper hærebimus.

Sec. Ejus tamen loci ecclesiam, ubi conscriptus liber, vel quo primo missus est, si testis laudari possit, præ cæteris audiendam esse, pluribusque difficultis æqualem merito putari. Verisimillimum enim est, tales christianorum coetus, aut ipsos, aut per alios, ob perscripta sibi mandata cum Apostolis egisse; ad manus porro ipsis erant Apostolorum authographa, oculatique testes, indicia alia.

Tert. Eo plus inesse, cæteris paribus, cujusdam Ecclesie testimonio fidei, quo propius auctorum tempora attingit. Prima enim eventuum incunabula monumentorum admodum sunt fertilia, annis hæcæ copia decrescit, seculis fere absorbetur.

Quarto. Si quis anxius ecclesiam hisce requisitis gaudentem nihilominus testem recipere recuset, sciat, quod alio loco pluribus edocebitur, ne unius quidem libri s. divinitatem ab hoc solo argumento pendere, sed accedere alia, v. g. Scriptorem, si quid probabilitati demus, miraculorum potestate gavisum fuisse,

LILIENTHAL; gute Sache der in der H. Sch. A. und N. Test. enthaltenen göttl. Offenbarung.
 LAYE, in antiquit. apostolicis, aliique.

fuisse, aut Apostolum ipsi testimonium perhibuisse, aut impleta in ipso scripto vaticinia esse obvia. Interim, cum nullus unquam inventus sit humanæ diligentiaæ scetus, quem in canonem retulerit Ecclesia, non parum roboris ejus unanimi voto inesse, vere putatur; semper enim librorum numerus idem, vel nostro minor fuisse deprehenditur, adeoque magis incredulitate quam præcipitantia peccasse videntur, qui primis ætatibus Christi nomen gerebant.

Hæc de principiis veræ probationis, qua S. Scriptura divinitas evincitur, sufficiant. In Exercitatione altera, quæ priorem hanc intra modicum temporis spatium excipiet, singulos tam veteris quam novi Fœderis libros ad positas hæc regulas examinabimus, & ea ratione materiam amplissimam, breviori vero schemate a nobis repræsentandam, bono cum Deo, absolvemus.

Cæterum: ut utilitatem mei instituti non ex rerum novitate, sed rariore inter nos usu æstimare velint, Lectores vehementer rogo.

T A N T U M.



nunc adjiciam,
ecclesie partem,
um, ubi cetera
valeat. Quis
it? Quis du-
Semper hæc

bi conscriptus
testis laudari
ribusque dis-
illimum enim
s, aut per
ostolis egis-
cum autho-

us, cujus-
auctorum
incunabu-
lia, annis
erur.

ilice requi-
ere recuset,
r, ne unius
argumento
rem, si quid
tate gavisum
fuisse,

Eq. 4. und


fuisse, et Apostolum ipse testimonium perhibuisse,
 et impiorum in ipso scriptis testimoniis esse. In-
 terea, cum dicitur in quantum ad hoc de hanc
 diligenter locum, quem in canonem tenent, sic
 dicitur, non potuit robore eius unanimitate vero in-
 esse, vere putatur; tunc enim librum nunc
 tus idem, vel nostro minor fuisse deprehenditur,
 adeoque magis incredulitate quam precipue hoc
 esse videtur, quod prius veritas Christi nomen
 gerentem, si est, etiam ostendit esse.


Hinc de principis vere prophetarum, qui scrip-
 turae divinitus scriptae, inscribuntur. In exercitio
 ne dicitur, quod priorem hanc in modum tam-
 que scriptam exhibet, dicitur tam veteris quam
 novi Testamenti scripturae hanc regulam exami-
 nandum, & ea ratione misterium amplissimum pre-
 vium vero schismate a nobis repulsiendum, po-
 no cum Deo, adhibendum.

Curiam: ut velleam mei insinui non ex
 terris novitate, sed amore inter nos illa alimere
 velle. Laboris vehementer robor, adeo dicitur.

T A N T U M







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN® Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

TIFFEN® Gray Scale © The Tiffen Company, 2007

	A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19

R (Red) **G** (Green) **B** (Blue)
W (White) **G** (Gray) **K** (Black)
C (Cyan) **Y** (Yellow) **M** (Magenta)